

breviter jam Adversariorum opiniones, ingenue tamen & semoto omni præjudiciorum aut affectuum fascino, examinabimus.

C A P. III.

Adversariorum sententias recensens & confutans.

§. 1.

Limites Rationi humanæ in argumentando circa Mysteria & Articulos fidei ponendos hæcenus indicavimus: hosce temere movere credendi sunt, quicunque plus quam convenit & natura τῶν Θεολογιῶν admittit, Rationi frænum laxant, etsi non omnem, maximam tamen ei tribuunt ἀξίαν in explicandis, probandis ac defendendis illis, quorum unicum principium agnoscendum merito est revelatum DEI verbum. Impudens sane vox Philosophi illius infidelis Averrois fuit, quam Christianis perpetuo ogganniebat: *Credero, aliquid esse verum, quod ratio non potest apprehendere, nec intellectus intelligere, levitatis signum esse dicimus.*

§. 2. Hujus criminis olim veneranda Antiquitas convicit Manichæos ac Arrianos. De illis testatur locus Augustini l. 17. contra Faust. c. 3 *Undiq; tergiversatio vestra confunditur, dicit ibi B. Pater; Aperte dicite, vos non credere Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis, creditis, quod vultis non creditis; vobis potius quam Evangelio creditis.* De his posterioribus atque aliis judicat B. Chemnitius P. 1. Loc. Comm. loc. 2. de Perf. Chr. *Omnes hæreti. i. l. ex supercilioso Samosatani fastu l. ex Arii Dialectica, l. ex Æelii ὀλιγομαθεία prodire deprehenduntur.* Sed nos infelicem horum hominum memoriam, quam dudum tempus edax rerum suo merito sepelivit, ex orco nequaquam revocabimus, aut prolixitate tædiosa refutabimus, quibus S. S. Patres illius ævi os abunde obturârunt: nostrorum potius temporum zizania lustrabimus, ac quantum sub his pro Rationis humanæ deastro in fraudem sanctissimarum scripturarum pugnatum sit, ita ferente occasione intuebimur.

C 2

§. 3.